25

✠

IN PROCESSV PROCVRATORIS FISCALIS VNIVERSITATIS CÆSARAVGVSTÆ.

DVBIA SVPER CRIMINALI.

Clarissimo Viro D.D.D. Michaeli Marta, & Mendoza, Sanctæ Ecclesiæ Tirasonensis Maiori Archidiacono, ac Canonico; ipsius Episcopatus in Regnis Aragoniæ, Castellæ, ac Navarræ, Magno, ac Generali Vicario; Academiæ Cæsaraugustanæ Rectori, &c. Salutem.

GRATVLOR mihi, Clarissime Vir, dum Fisci Academiæ partes substineo, Is (1) qui neque ingenio, neque authoritate sim cum cæteris comparandus, talem ac tantum Iudicem sortitum fuisse, Clarissimum nempe Vniversitatis nostræ Principem, Astrææ prolem, totumque ad æquitatem effigiatum: Idque maximè exultantem animum recreare fas est, quod (2) Serenissimus ita perflet Auster, vt & Tibi in corruptissimos Viros (O! quæ plaga pares?) adiunxerit, & sudoris (3) vt Nonius, effector, Reos ipsos sub Iudicio sudare cogat. Sed & illud gratissimum cadit, quod sic ponderosam omnium Provinciam facilius sustineas. Nativi Athlantis humeri, etsi ad laborem durati (scis, vtpotè Musarum Alumnus, quarum choros Apollinis instar ductare potes) Cælorum machina laborabant, quæ Herculeis incum-

(1) Cicero *in orat. pro S. Roscio.*

(2) Auster non omnibus Regionibus gravis; nã & Palestinæ lenis, & salutaris. Corn. à Lap. *in Cant. Cant. cap 4. v. 16. pag.* 214. quo, & cũ Horatio *lib. 2. ep. 2.* & aliter ac ille dicemus:

Non tamen adversis ætatem
ducimus Austris.

Addo Hieronym. *Psal.* 88, 12. nam vbi sept. vertunt, *Aquilonem & mare tu creasti*; quia in Hebræo pro *Mare* est *Iamin*, idest *Dextera*, transtulit; *Aquilonem, & Dextrũ tu creasti. Dextrum* idest *Austrum*: ergo si Dexter, & Serenus, qui serenam fœlicitatem designatis tantis Viris, adducit.

(3) Auster dictus est quasi Hauster, ab hauriẽdo aquas ait Isido-

dorus *lib.*13. *Etymol.cap.*11. è Græco humor vertitur apud Nonium Marcellũ. Videatur Plinius *lib.*18.34.sed si Virg. audias 4.*Georg.*qui aiebat:

Frigidus vt quondam Sylvis immurmurat Auster.

Frigido sudore madidos ab Austro nonullos puta.

(4) In *l.vnic.C.vt quæ deficiãt,&c.*

(5) Exemplo Modestini, de quo *in l.*18.§.26.*de munerib.& honorib.*

(6) S. Bernardus *epist.* 242.

(7) Plinius Iunior *lib.*1.*epist.*7.

(8) S.Augustinus contra litteras Petiliani *lib.*3.*cap.*11.

bere visa est. Heu! qui plumbei negotij molem ferres? Ferres sane, sed quo labore? Ergo succedant robustissimi Viri; scio, eorum quisque, vel ipsi Athlanti opem ferret, vel illum Olympi machina fatigaret impavidum. Hæc omnia, & mihi favent, aderunt enim, & qui dicta mea, si forte peccaverint, excussent, & quidquid à me prætermissum facile proferant, ac suppleant, vt Imperatorum (4) verba mea faciã. Fecisti sanè & Tu V. C. cũ datis ad me litteris statũ animi, ac dubitandi rationes, quæ Fisci causam quoquomodo debilitare videtur limatissimo stylo conscriptas transmisisti, id à Me rogãs, vt quamquam ab Academia longe dissitus, & gravioribus curis ipsius etiã nomine, & iussu distentus, Tibi quam scitissimè iudicium meum rescribam, vt & (5) notando, & disputando bene, & optima ratione decernas. At Tibi his nihil opus C. V. Ego verò cui obediendi tantũ gloria relicta est, nec ignorans id (6) onerosum mihi consideranti, quis, quibus scribam, simulque quam aliter hoc alius iudicare possit, cum tamen nec fidei meæ, (7) nec constantiæ sit, deserere eam causam, quam tot officijs, tot laboribus, tot forte periculis meis (non ignota loquor) mihi aliquando devinxerim, Acturus videor è re mea si breviter, ac dilucide tuis dubitationibus respondeam, quod nec inficiar aggredi, Mihi enim (8) sat erit ad rem, quam nunc agam, quod qualiscumque in ea fuerim, tamen Iustitia pro qua loquor invicta est, ac velut Scopulus in quem tumidiores fluctus exurgunt; sed frangentur hi, irasque fremitusque suos in se vertent.

—— vt præceps cumulo salit vnda minantes
In Scopulos, & fracta redit.

Id sanè ab incorrupta æquitate tua auspicari licet, inquam si oculos quisque mittat illud ingeminare poterit.

Vertite equum Danai, male Vincitis. Ilia tellus
Vivet, & huic cineri Iuppiter arma dabit.

Sed

Sed iam interpretationem Epistolicam incipiam, Sacræ Paginæ sententiam adorans, dum inquit stultum (9) esse ante historiam effluere; in ipsa autem historia succingi. Ad rem igitur, ita se habet.

(9) Machabæor. *lib. 2. cap. 2. in fin.*

DVBIVM PRIMVM.

STatuta Almæ Vniversitatis Augustæ privationis pœna coercent Doctores, & Magistros ad alicuius Cathedræ fastigium promotos, qui eam venalitijs suffragijs, pactione turpi, aut transactione damnata conquirunt. Flagitia, & pœnæ non egrediuntur Authores, ergo vltra Doctores Dominicum Perez, & M. Ludovicum Abadia (qui de anno 1670. ad duas Philosophiæ Cathedras ea tempestate vacantes evecti fuere) alios omnes ad criminale iudicium pulsatos, vel fideiussores, aut socios non arctant, strictæ legis odio, & natura pugnantibus.

Benè ac sapienter C. V. animo tuo insedit Academiæ (10) placitum. Naturali enim iuri, ac Politicæ rationi acquiescere in dubium est, dum (11) Cathedras ambientium libidinem, studiosam adipiscendi voluntatem, conquirendi nimium studium, fervidũ ad summum earum fastigium ascensum, ac denique venalitatem honorum effrænare satagit. Quid enim tetrius, aut immanius, quam litterarum præmia prodigalitatis præmia conspicere? Quid acerbius, crudeliusve, quam scientiarum documenta quæstui prostituta habere? Quod non modo turpe est, sed sceleratum, & nefarium, vt alibi opportunè diximus. At *flagitia, & pœnæ*, inquis, *non egrediuntur Authores*, fateor libentissimè: *ergo vltra Doctores Dominicum Perez, & Magistrum Ludovicum Abadia, alios omnes ad criminale iudicium pulsatos, vel fideiussores, aut socios non arctant*, pace tua negatur, non enim cæteri omnes ad criminale iudicium pulsati vltra relatos Dominicum Perez, & Magistrum Ludovicum Abadia, *fideiussores*, tantum, *aut socij*, sed criminis comites æquè Præcipui, ac veluti delictorum Partiarij, & Co-auctores iudicandi sunt; in his enim quæ ex proprijs personis, pactionibus hinc inde initis committuntur, vterque principaliter agit: ergo si turpes sint, vterque etiam principaliter turpitudinem cõcipit: igitur legis pœnam subeant omnes necesse est. Quemadmodum inter moras huius litis ex eisdem pactionibus, de quibus in præsenti disceptatur, communi

(10) Statut. *tit. 25. Condiciones que se requieren, &c. pag.* 48. 49. 50. & 51.

(11) D. Alphonsus de Narbona *ad l. 31. Novæ Compilat. gloss. 6. vers. Ni den dadivas*, quam dedimus *Alleg. Fisc. 1. discurs. 5. num.* 174.

 fere

tere Academici Consilij calculo dictum, ac iudicatum fuit (12) adversus Doctorem Petrum Hieronymum Parras, alterum ex pulsatis ad criminale iudicium, vna cum dictis Dominico Perez, ac Magistro Ludovico Abadia.

Agnosces forsan V.C. iudicati authoritatem, instabis tamen ideò Doctorem Petrum Hieronymum Parras, privationis Cathedræ sententiam subijsse, quod ipsius perpetuus ambitus ad alteram ex Philosophiæ Cathedris expresse legatur, in prima, (13) ac tertia, (14) scriptura, de quibus in Processu, quod tamen de DD. Ioanne Francisco Phelip, (nuper vita functo) ac Ioseph Luca Casalete, dici nequit, cum ipsorum Cathedræ in dictis scripturis non audiantur. Quis verò nesciat pro ipsarum etiam conservatione pessimum eosdem consilium, cum cæteris inijsse? Alter enim, etsi aliquibus Medicinæ Cursibus, nec sine laude, emmensis, non autem perpetuus Magister, aut saltem legitimè declaratus tunc erat. De Altero id indubium est, quamquam melius est etiam parcere ipsius causæ: est enim (15) putare eos qui decesserunt Sanctos, pium, abstinere ab his qui non extant, iustum, & civile odij tollere æternitatem. Et hi omnes adversus quos à Fisco Cathedrarum privatio expostulatur: Igitur dum propria magisteria prohibitis pactionibus firmare curarunt, adscitis enim ad Academiam amicis suis, potentior quisque effici credebat, & (16) victoriæ commodũ cum ipso communicare, vt aliàs scitè Venuleius, quid obstat, quod id expressum in pactionum tabulis non legatur? Certè nihil. Argumento sumpto ab Vlpiano I.C. dum inquit consequenter (17) quæri, An, & ille Socius pro Legatario habeatur, cuius nomen in testamento scriptum non est, licet commodum ex testamento ad vtrumque pertineat, si socij sint? Et respondet, esse verum, non solum eum, cuius nomen in testamento scriptum est, legatarium habendum, verum eum quoque, qui non est scriptus, si & eius contemplatione liberatio relicta sit; Ergo & legis pœnam subeant omnes necesse est.

(12) Diximus latè *Allegat. Fisc.* 1. *discurs.* 5. *à n.* 156. omnino vid.

(13) Diximus *d. Allegat. Fisc.* 1. *in princ. pag.* 12. *& disc.* 5. *à n.* 259.

(14) Diximus *ibidem pag.* 21. *& d. discurs.* 5. *à num.* 156.

(15) Plutarchus *in Solone.*

(16) In *l.* 7. *famil. hercisc. l.* 4. §. *si fundus, ff. si servit. vindicet.* ibi: *Itaque de iure quidem ipso singuli experientur: & victoria, & alijs proderit.* cum alijs.

(17) In *l.* 3. §. 4. *ff. de liberat. legat. l.* 31. §. *fin. de negotijs gestis,* ibi: *Vno defendente causam communis aquæ, sententia prædio datur. l. si communem* 10. *ff. quemadmodum servit. amitt.* ibi: *Propter pupillum & ego viam retineo.* cum vulgatis.

DVBIVM SECVNDVM.

MVnera publica legendi, authoritas pro rostris interpretandi Philosophiam, & pro dignitate Cathedras in proprietate regendi, cernuntur in statutis præservata, ad privatas collationes, & commissiones, quæ passim fiunt à Magistris ad tempus Baccalaureis, aut quibusdam Scholæ candidatis ad inventutis in-

instructionem; trahi non debent: cum nullo iure cautum, imò in statutis ommissum detegatur.

Agnosco V.C. de privatis commissionibus, quæ ad faciliorem fœlicioremque Iuventutis instructionē solent fieri à Magistris quibusdam Academiæ candidatis, qui *Repassantes* vulgo appellantur, statuta nō loqui, ad hoc vt eorū ambitus, & fœdissimæ venalitates graviori supplicio mulctentur, cum nec in tota ipsa legislatione noti sint, ni de illis loquantur cuiusdam statuti verba, in quibus postquam ipsis Magistris eadem relegendi obligatio super imponitur illis verbis: *Cada* (18) *Maestro repita la licion las vezes que le parecerà ser necessario para los oyentes, y hagalas repetir en su presencia a algunos de ellos, y despues se pondrà a la puerta, y no dexarà salir a sus discipulos, y les responderà a las dudas que propusieren, y pareciendole hora entera, entrarà otra vez a hazer platica, pregnntando sobre la licion, y propontendo argumentos, y haziendo que vnos con otros discipulos disputen*, hæc leguntur: *Y a los mas cortos de ingenio enseñaràn los terminos, y principios con claridad, y sufrimiento, encomendandolos a otros discipulos mas adelantados.* Vt hinc similium commissionum originem obiter investigasse non pudeat. Satis verò constat labente tempore, ex generalibus delegationibus, quibus Magistri certis Academiæ candidatis omnes suos discipulos committere solent, vt illis relegant, quæ ipsi prius pro rostris explicarunt *Relegentium* munus prodijsse. Hi quam grati soleant esse scholasticis, præsertim nè dum à minoribus Gymnasijs rubentibus, nemo est qui nesciat; adeò enim exquisitis blanditijs ipsorū animos demulcent, ac leniunt, cū (19) in Templis suis pendeant, & alius numos pronuntiet, alius per sequestrem agat, alius eorum manus osculis conterat; quibus nihil iucundius Adolescentibus, vt sæpè Doctorum suorum constantem Doctrinam fastidientes, relictis limpidissimis fontibus, ad hosce rivulos anxiè divertant; & eorum suffragijs, qui paulò ante merè discipuli, vel ad sumum Candidati dicebantur, repente iam Coadiutores, & Co-magistri audiri cupiant, nec his contenti Magistris (forsan suis) minitentur, & eorum depositiones moliantur. Hæc mala, quæ in alijs Academijs cessant, in quibus Magistrorum creatio, ad curam Magistratuum spectat, potius quam ad Scholasticorum favorem, in nostra in dies augentur, quare vt propria Magisteria tueantur, de constituendis hiscè Relegentibus apprimè Magistros esse solicitos experientia docet, quod

(18) Statut. *tit.35. De los Catedraticos de Artes, fol.64.*

(19) Seneca *ad Lucillum epist.* 118.

quod tamen in casu nostro, nec convenienti modo actū fuit. Proh dolor! cum iam in his etiam diu (20) siquidem post emptio, & venditio sera prorupit, & inter Pactiones ipsas se se argentum miscuit, turpe, & miserabile, & quod bilem Academici Consilij movit, vt vltore Iurisdictionis gladio in Criminosos exurgeret, ac serpentem plagam ab Academia longe arceret, commissa mihi procurationis cura, qui pro suscepto munere libellum edidi, & insertis ad litteram fædissimis pactionibus negotij summã patefeci, detectis omnibus qui se illis infeliciter macularũt; Cum ergo quæ de privatis hisce delegationibus in dictis scripturis leguntur, non alio tendant quam vt petitiones ordinariæ Magisteriorum ablegentur (21) vel certe difficiliores reddantur, (22) aut quæstui vilissimo prostitutæ remaneant, (23) consequenter videntur non minus comprehensa fore in statutis almæ nostræ Academiæ illis verbis: *Deseando* (24) *remediar los sobornos, depositos, y otros abusos, &c.* quam cætera quæ in statutis cernuntur præservata; Cæterum, quantæ (25) audaciæ, quantæ temeritatis sint huiusmodi factiones, sicuti nemo est qui nesciat, ita ne (26) diutius eorum prava admodum, venalisque perfidia impunè in publica cõmoda desæviat, merito censemus in eos etiam pro competenti vltione debere consurgere, vt Impp. Valent. Theodos. & Arcadius rescripsere.

(20) Plutarchus *in vita Coriolani.*

(21) Vt *in tertia Script. Pact. 2. Alleg. Fisc. 1. pag. 23. in princ.* omnino vidend.

(22) Vt *in prima Script. Pact. 1. 3. & 4. Alleg. Fisc. pag. 13. & 14. in princip.* non prætermit.

(23) Vt *in tribus Script. allatis Alleg. Fisc. in princip. à pag. 12. ad 27.*

(24) D. Statut. *tit. 25. Condiciones que se requieren, &c. pag. 49.*

(25) *L. 12. C. de pub. vectig. & cõmis.*

(26) In *l. 21. C. de pœnis.*

DVBIVM TERTIVM.

Declaratio supplicata privationis perpetuæ, per Procuratorem Fiscalem Vniversitatis, honoris, graduum, & aliarum facultatum expectative, nequit deserni, cum hæc tantummodo comminentur in casu recursus, & appellationis ad Suprema Tribunalia Regni, sivè sæcularia, sivè Ecclesiastica ab ijs quæ Rector Illustris, & Claustrum, iudicaverint opportuna; ergo in dubium est, quod primum pronuntiationis Arrestum subire non potest censuram tam acrem, sequenti solum iudicio præscriptam.

Ambitus immane nefas non solum privationis pœna, verũ & alijs gravioribus supplicijs semper mulctatum, ex Romanorum iure (27) ex Regio Hispano, (28) ac nostro, (29) fusè demonstravimus; At non *perpetua* inquis, secundum leges nostras, & *Magisterij* tantum, non verò *honoris, graduum, & aliarum facultatum, expectativè*, quæ vt acriora, contumacibus tantum,

(27) Diximus *Alleg. Fisc. 1. Disc. vlt. à num. 227.*

(28) Diximus *Alleg. Fisc. 1. Disc. 3. à num. 107.*

(29) Diximus *Ibidem num. 114.*

tum, ac iudicio Academiæ non acquiescentibus imponuntur. Et ita (30) Edictum se habet, sed magis sentio, cum enim (31) bono, & gravi Principi congruat curare, vt pacata, atque quieta sit Provincia, quam regit, Neque (32) leges, aut Senatusconsulta ita scribi possint, vt omnes casus, qui quandoque inciderint comprehendantur, cum (33) in aliquo casu eorum sententia manifesta est, is qui iurisdictioni præest ad similia procedere debet. Igitur non videtur nimis properè, vel importunè non tantum privationis perpetuæ pœna, verum, & gravioribus alijs (quibus tamen cordatissimi, quique Legislatores (34) in similibus casibus vsi sunt) affici Reos Fisci Patronum voluisse, vt quos (35) Divinus timor à malo non vocat, temporalis saltim pœna cohibeat, maximè cum neque id statuti verbis repugnet, aut incivile dici possit; Nam (36) vt ait Pedius quoties lege aliqua, vnum, vel alterum introductum est, bona occasio est, cœtera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè Iurisdictione supplendi. Tu ergo V. C. in his, ac similibus casibus Iurisdicundi in Academia Princeps, & Arbiter: vt in Officij tui formula nullus non videt, illis verbis: *Estatuimos, (37) y ordenamos, que el Retor de la Vniversidad sea el Superior de los Graduados, de los Estudiantes matriculados, Oficiales, y Ministros de la Vniversidad, que tenga sobre todos los de ella Iursdicion civil; y assi mismo tenga el dicho Retor Iurisdicion Criminal entre todas las sobredichas personas, y qualesquiere de ellas, para coercerles, compelerles, y apremiarles al cumplimiento de los casos, y cosas en que como tales Graduados, Estudiantes, Oficiales, y Ministros delinquieren, ò faltaren en su obligacion.* Quamobrem (38) (quoniam communis hæc vtilitas omnibus est Academiæ Sodalibus) fiant quædam à tua dominatione hinc Præcepta, cunctis declarantia legis virtutem, vt Imperator Iustinianus Augustus, Ioanni Gloriosissimo sacrorum per orientem prætoriorum Præfecto, rescripsit.

(30) Exemplo Scæbolæ *in l.* 10. *C. de collat. bonor.*

(31) Vt *in l.* 13. *ff. de Offic. Præsid.*

(32) Iulianus *in l.* 10. *ff. de legibus.*

(33) Idem *in l.* 12. *ff. eodem.*

(34) Vt *in Allegat.* Fisc. 1. *Discur.* 3. *à n.* 107. *& Disc.* 5. *à n.* 226. vbi graviora quam in Fisci libello cauta leguntur.

(35) Vt *in Decret. Clericor. de vit. & honest. Cleric. cap. cum qui de Præb. num.* 6.

(36) Apud Vlp. *in l.* 13. *de legib.*

(37) Statut. *tit.* 5. *Del Oficio, y Iurisdicion del Retor, pag.* 22.

(38) Novell. *Constit.* 1. *in fine.*

Hæc sunt, Clarissime Vir, quæ dum aliæ, & aliæ Epistolæ, vrgente Tabellario concipiuntur, tenuis nostra Minerva potuit excogitare, ac Tuis intenta votis exprimere; sed breviter omnia, & transcursim, nec alio ad manus Auctore quam Clarissimo Gotofredo ad ius Iustinianeum, qui

mihi

mihi tantum pro Blbliotheca à propria exulanti; Cæterum cum nec locus pateat, ea quæ ſcripta ſunt relegendi, quanto minus emmendandi, vel certè excuſandi, vnum tantum hoc loco addam, quod ante omnia cupio, vt valeas. Mantuæ Carpent. 4. Kalend. Auguſt. An. Dñi. M.DC.LXXIII.

Tibi ex animo Devotiſsimus.

Ioannes Ludovicus Lopez.
F. V. A.